

incongrua, cum scriptum sit: «Terminos patrum tuorum ne transgressus fueris» (*Prov. 22, 28*). Quia vero institutione divina quotidie imploramus, ut debita dimittat nostra Dominus, sicut nos pollicentes debitoribus dimittere dicimus nostris (*Math. 6, 12*), delinquentibus, ut peniteat, culpas relaxamus, rigore servato sanctorum canonum, prorsus ut gemitus lacrimarum speciali antidoto quasi vulnus, quod excrescit in membris, possit salvare. Dudum namque factus superbiae praeludium rogatus Petrus Pollensis antistes, canonica despiciens statuta, ab hac luce subtracto fratre nostro Donato, Gradensi presule, suam deserens ad eandem transiit sedem, contemnens regulas patrum atque ecclesiastica statuta. Quare merito ab episcopali collegio esset diffinitione patrum extorris et sacerdotali officio nudatus, nisi eum apostolica preveniret compassio. Quod quia instruimur severitatem legum bonitatis indulgentia temperare et delinquentibus portum indulgere salutis ad imitationem domini nostri Jesu Christi, si quis offenderit, manum porrigere non denegamus, ab ea, in quam incidit foveam, relevantes, illa interpositione, ut semper se curet, flendo diluere commissa, et doleat tentasse apostolica violare statuta, ut poenitentiae medella cicatrix possit cordis sui vestigia relinquere. Eundem itaque Petrum episcopum ad pristinam redire sedem beati Petri apostolorum principis, cuius meritis impares vices tamen dignatione superna gerimus, auctoritate precipimus, plurimum vestris faventes votis, ea duntaxat, sicut praemissum est, interpositione, ut sibi indulta non ex licentia credat, sed semper retineat memoria nimia compassionem fuisse concessa, et commissum anterioris perpetrati posteritas obumbret modestae actionis. Quamvis enim ei aditum ad suam remeandi sedem tribuamus, ut vivens semper doleat offendisse, volumus quatinus, compunctionis stimulo sese adlacerans, ab erumnosa hac vita ad perpetuam non dubitet pertingere gloriam. Omnes itaque vos admoneo, dilectissimi fratres vel filii, ut concordes pro amore Dei absque elationis fuco eligere in Gradensi